



Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 9. An licet aliquando revelare crimen occultum alterius?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

Notat De Lugo totum hoc desumendum
esse ex damno novo, quod circa famam sit, an
iudicio prudentum sit grave, vel leve.

Q. 9. *An licet aliquando revelare crimen occul-
tum alterius?*

Not. Certum est id nunquam licere, si cri-
men innotuit solum per Confessionem sacra-
mentalem, vel si talis revelatio cedit in detri-
mentum publicum. Sed extra hos casus.

Resp. I. Ex communi, revelatio criminis
occulti fieri potest, & debet, quando necessa-
ria est ad avertendum grave damnum com-
munitatis, aut privato innocentii impendens, sive
spirituale, sive temporale: quia nocens non
habet ius retinendi famam cum gravi damno,
quod inde alteri iniustè obveniret: nam bo-
num commune, & privatum innocentis pra-
ferri debet bono privato nocentis. Et cha-
ritas obligat ad impediendum damnum com-
munitatis, vel privati innocentis, cùm impe-
diri potest: nec alter tunc censetur rationabi-
liter invitus, cùm adsit iusta causa, ob quam
debeat famæ suæ iacturam pati. Ob eamdem
rationem idem tibi licet, si hoc necessarium sit
ad avertendum tuum grave damnum etiam
temporale iniustum.

Manifestatio autem criminis occulti alteri-
us non est detractio, nisi cum est inordinata:
at quæ sit obiustam, ac rationabilem causam
& sine animo nocendi, est ordinata: nam de-
tractio

tractio formalis, quæ semper intrinsecè mala est solum fit cum proximi defectus aut crimen revelatur vel sine iusta causa, vel ex intentione illum infamandi. Imò ex S. Thom. q. 70. a. 1. ad 2. homo tenetur manifestare ea, quæ sibi sub secreto commissa sunt, *Si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem, vel corporalem, vel in grave damnum alicujus personæ.*

Hinc quando agitur de Officio, Beneficio Ecclesiastico conferendo, de matrimonio contrahendo, de Religione suscipienda, potes, & debes occulta impedimenta, incapacitatem vel vitia alterius, unde aliquod grave damnum meritò timetur, detegere iis, ad quos id spectat, sed non pluribus; & illi tenentur sic audita non referre aliis. Sic tibi licet monere amicum, ut in famulum non assumat Petrum, nihil aliud initio allegans, quam quod ei non convenit, sed postea dicere esse furacem, si amicus persistat velle eum assumere, nisi causam repellendi nōrit. Item licet monere alterum, ut vitet consortium hominis, quem certò nōstī esse corruptis moribus, ne ipse pervertatur; vel ut sibi caveat ab homine injuriis dedito: Sic Apost. 2. ad Tim. 4. monet: *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit... quem tu devita.*

Item talis revelatio fieri debet, cùm necessaria est ad bonum spirituale delinquentis, ut si fiat superiori, parentibus, servato, quantum opus est, ordine fratrnæ correptionis:

U 4

quia

quia bonum spirituale animæ anteponi debet famæ. *S. Basil.* in *Reg. Brev.* *Resp. ad interrog.* 25.

Resp. II. Licet injuriam sibi ab alio factam referre ad petendum consilium necessarium, non nominatâ personâ nisi ad consilium opus sit, modò non pluribus referatur quam necesse fit, quia tunc injurians non est rationabiliter invitus, & Iesus habet jus consilium necessarium in injuriis acceptis quærendi. Non tamen licet ad solatium præcise, seu ad dolorem leniendum narrare amico injuriam sibi factam, nominatâ personâ: quia iniquum est gravem infamiam proximo inferre sine iusta, & gravi causa, quale non est solatium illud, quod non est bonum tanti momenti, nec necessarium, cùm verum solatium possit sine infamatione proximi obtineri, scilicet confugiendo ad Deum, qui est Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulazione nostra. 2. ad Cor. 1.

Resp. III. Si quis fictis virtutibus, vel simulatâ peritiâ famam sibi comparavit, licet appearire hanc simulationem, si ea vergat in aliquis damnum grave: ut si quis simulet se peritum Medicum, Advocatum &c. & constet non esse talem: quia is non habet jus famam in errore fundatam refinendâ cum aliorum damno, vel periculo. Quod si simulatio viriutis, vel Doctrinæ nemini nocere possit, est contra justitiam eam detegere: nam quam-

diu

diu hypocritæ malitia est occulta, & nemini nocet, jus habet, ne positivè existimetur malus: detegendo autem hypocrisim, facis ut positivè existimetur malus.

*Q. 10. An est mortale detrahere defuncto
in re gravi?*

Resp. Aff. etiamsi ejus infamia ad alios non redundet. *Ita omnes.* quia defunctus retinet jus ad bonam opinionem, quam habet apud homines; & censetur etiam post mortem possidere famam suam, per quam vivit in memoria hominum. Ergo eam auferendo, inferatur ei grave damnum injustum: fama enim etiam post mortem magni aestimatur ab hominibus, & ideo ejus intuitu res maximè arduas aggrediuntur. *Hinc illud Eccli. 41. Curram habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi, & magni.*

Quare est obligatio restituendi famam defuncto sive ante, sive post ejus mortem injustè laßam: nam injusta ademptio boni proximi obligat ad restitutionem. Nec hanc remittere potest hæres, quia jus remanet defuncto, qui damnum injustè patitur.

Q. 11. An licet se ipsum infamare?

Resp. I. Ex communi, laudabile est seipsum infamare, veritatem aperiendo sine scandalo vitæ periculo, & aliorum injuria, ad coercen-

U 5

dam